

D. August. Omnes ju-  
stificati sunt  
ex gratia  
Christi.

Theophyl.

Maldonat.  
Barradas.  
Corn à Lap.  
106.  
R. Reg. 8.

ejus meritis D. V. præservata est ab originali, & omnes Sancti Veteris Testamenti ut docet Div. Augustinus lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 4. per merita Christi præsensa justitiam adepti sunt. Ac proinde omnes quicumque justificationem assequuti sunt, sive in ætate provec̃ta, sive infantili, sive quocumque alio modo, hoc habent ex fide, redemptione ac gratia Christi, qua ad sanctitatē vocati sunt, cum nullus ex se immunis sit à peccato, unde ait Theophylactus in c. 5. Luc. Non veni vocare justos, nullos enim invenio, quandoquidē omnes peccant, quod si possibile esset invenire justos, non venissem. Hanc rationem reddunt Maldonatus, Barradas, Cornelius à Lapide. Tolerus ann. 63. ait, quod est Hebræorū phrasīs, quādo unum alteri præsferunt, uti absoluta negatione. Non te abjeci enim, sed me, i. Reg. 8. id est, non te vocare justos, sed peccatores, id est, non tam justos, quā peccatores, ad penitentiam. Omnes quidem veni vocare; justos, & peccatores, sed magis indigebant peccatores, idcirco dico magis venisse propter hos: sicut Medicus magis propter ægros venit, quā propter sanos, et si hi Medico indigebant.



CAPUT XXVIII.

A discipulis Joannis excitatur quæstio.

Matth. 9. v. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Pharisei jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant.

VERSIONES.

Syriacus. Quare nos, & Pharisei multum jejunamus, & discipuli tui non jejunant.  
Vatablus. Tunc ad eum, discipuli Joannis, dicentes: Quam ob causam nos & Pharisei jejunamus plerumque.

ALTER TEXTUS.

Marc. 2. v. 18. Et erant discipuli Joannis, & Pharisei jejunantes, & veniunt, & dicunt ei: Quare discipuli Joannis, & Phariseorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant.  
Luc. 5. v. 33. At illi dixerunt ad eum, Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, &

obsecrationes faciunt, similiter & Phariseorum: tui autem edunt, & bibunt.

EXPOSITIO.

**H**OC est, paulo post præcedentem historiam de vocatione Matthæi, siquidem etiam Marcus, & Lucas post illam hanc quæstionem discipulorum Joannis enarrant, consutari à Christo Domino. Pharisei evidenti, ac efficaci ratione, ut vidimus in fine superioris capituli calumniam adversus Christum machinantur, nunquam enim malitia quiescit, sed semper nova molitur. Ad sui ergo intentum Pharisei subornant discipulos Joannis, ut accipia occasione ex jejuniis sibi communi cum eis, Christum calumniantur; quod ipse cum suis discipulis non jejunet.

Discipuli Joannis, tanquam instigati à Phariseis, & plurima auctoritate sui Magistri, qui magnus habebatur in populo, erant, ut hoc pacto Baptistæ auctoritate vehementer Christum impugnant, & Phariseorum doctrinam maxime extollerent, siquidem Joannis disciplinæ concors erat, ut notat Tolerus in 5. Luc. accedunt, dicentes, Quare nos, & Pharisei jejunamus frequenter. Notandum est ex Abulensi q. 72. quod jejuniis præscriptum in lege, sicut & cætera illius, exactissime Christus cum suis discipulis observabat, jejuniis autem hoc, de quo excitabatur præfens quæstio, erat introductum ex traditione, ac consilio seniorum, & magistrorum, & ab ipsis suis discipulis voluntarie assumptum, & inde discipulos Domini volunt criminari hypocritarum vitio, qui si tantillum ombre virtutis præsent, jam cæteros justitia præcellere sibi persuadent.

Discipuli autem tui, qui ex tuo præcepto, ac doctrina vivunt, quam perfectiorem, ac sanctiorem esse Joannis, ac Phariseorum documentis prædicant, non Christum directè, sed discipulos notare volunt, forte, quia ob Domini majestatem apertè ipsum appetere non audebāt, vel quia in eo, quod discipulos criminantur, Magistrum reprehendunt, siquidem minorum, ac inferiorum defectus in magistrum caput, ac principem retorquentur. Non jejunant. Imò indulgentius vivunt, & in conviviis accumbunt.

QUÆSTIO I.

Quinam fuerint isti qui hoc à Christo quæsierunt, & quomodo sacri Evangelistæ coherent in hac narranda historia?

**I**NTER sacros Evangelistas aliqua dissimilitudo videtur in referenda hac historia, in hisque interrogationibus explicandis: Nam Matth. solos Joann. discipulos expressit. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis Marcus autem simul

Cap. XXVIII. Excit. quæst. à disc. Ioan. 607

simul Joannis discipulos, & Phariseos opponit: Erant discipuli Joannis, & Pharisei jejunantes. Lucas autem ad supra commemoratos calumniatores n. 30. nempe ad Scribas, & Phariseos, hoc videtur adscribere. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Joannis, &c.

Chrysof.  
D. August.

Ideo D. Chrysof. hom. 1. 31. in Matth. adducens præsentem textum Luc. hanc calumniam tribuit Phariseis. D. verò August. lib. 2. de consensu Evangelistarum. c. 27. maxime ponderans textum Marci, & Lucæ, ait, quod hæc interrogatio, ac præfens quæstio proposita fuit, non à Phariseis & à discipulis Joannis, sed ab aliis distinctis personis, ut patet ex hac forma dicendi per tertiam personam in textu Marci, & Lucæ. Quare discipuli Joannis, & Pharisei unum jejunant; Ab aliis ergo, qui nec discipuli Joannis, nec Phariseorum erant, videtur præfens interrogatio facta, quos scribas fuisse maxime contendit Tolerus in cap. 5. Luc. annot. 66.

Quæstio  
resoluto.  
Idem.  
Euthym.

Hieron.  
Abulens.

Tamen D. August. citato loco, concludit hanc quæstionem excitatam fuisse à discipulis Joannis, à Phariseis, ac ab aliis, & ita ait Euthymios controversiam fuisse propositam primò ab Scribis, & Phariseis juxta textum Marci, & Lucæ. Deinde discipulos Joannis concitasse, qui simul in hac re eos adjuverunt, & cum eis coadunari sunt, ut notat D. Hieronym. in præfenti, & tenet Abulens. quæst. 65. sine dubio in hac quæst. proponenda intervenerunt discipuli Joannis, ut clare patet ex Matthæo, veniunt discipuli Joannis, & dicunt: Quare nos, & Pharisei jejunamus frequenter? Preme illud, Quare nos, Deinde intervenit in hac re Pharisei, ac alii, ut patet ex illo modo loquendi per tertiam personam. Quare discipuli Joannis, & Phariseorum. Unde optime ait D. August. quod omnes certatim, ut quisque poterat, hoc objecerunt.

Idem.

D. Matthæus, ut notat Abulens, solum discipulorum Joannis facit mentionem, ut ostendat, tam quod illi fuerunt, principales in hac materia, quàm etiam magnitudinem murmurationis, factæ contra Christum, ad quam convenerunt non solum Scribæ, & Pharisei, sed etiam discipuli Joannis doctrinam suam sanctissimi Magistri deferentes.

QUÆSTIO II.

Quare hæc controversia proposita fuerit potius hoc tempore, quàm alio?

Chrysof.

Malitia semper explorat omnes occasiones.

**R**ESPONDET primò Chrysofom. hom. 1. 31. in Matth. quia Pharisei agnovissent se succubuisse in præcedenti quæst. demandatione cum publicanis, ideo in sui auxilium convocant discipulos Joannis ad aliud movendū dubium, ut per hoc saltem Christum possent separare. Secundo, malitia semper auscultat occasiones, & nil intentarum relinquit; nam pro illa circumstantia temporis videbantur jejunare discipuli Joannis, & Pharisei, & ita D. Marc. Erant discipuli Joannis, & Pharisei jejunantes, & Christi discipuli manducabant in convivio cum peccatoribus, & publicanis; ergo cum ipsi essent jejunantes, a denter hanc calumniam machinantur contra Dominum, &

quæstionem ponunt, ita ait Glossa interlinealis quod hæc fuit superba interrogatio plena superciliositate Phariseorum.

Tertid, ait Abulens. quæst. 68. hæc quæstio videbatur multum conveniens ad Christum, ac discipulos ejus redarguendos; nam Christus habebatur in populo tanquam magister perfectionis & discipuli ejus cum sequebantur ut sanctiorem vitam tenerent, quàm populus, qui solam legem observabat; austeritas autem vitæ reputabatur à Judæis ad maximam sanctitatem spectare, & ideo Joannem Baptistam sanctiorem omnibus hominibus credebant, quia nullus præcedentium ei in austeritate par fuerat; judicabant ergo esse valde ignominiosum Christo viam perfectionis prædicare, & jejunia non observare, sed in conviviis, ubi frequenter est ciborum copia cum publicanis, ac peccatoribus manducare

Glossa.  
9.  
Abulens.  
Cur Baptistæ  
apud Judæos  
erat in tanta  
reputatione  
sanctitatis.

QUÆSTIO III.

Quomodo in hac interrogatione faciendæ conveniant discipuli Joannis cum Phariseis?

**A**LID mirum, quod in hac quæst. proponenda conveniant discipuli Joannis cum Phariseis. Unde eleganter ait D. Hieron. Non poterant discipuli Joannis non esse sub vitio, qui calumniabantur eum, quem sciebant magistro virtutis prædicatum; & jejunabantur Phariseis, quos a. I. a. non noverat condemnatos, cum ait: Generatio vitæ a vitis, quis ostendit vobis fugere ab ira veniunt. Matth. 3. v. 12. Cum discipuli à sanctissimi magistri doctrina recedunt, statim in vitia prolabantur. Et nota illud, nec poterant discipuli Joannis non esse sub vitio, & jejunabantur Phariseis. Cum quis cum depravatis inquit consortium, eorum noxis frequenter coinquinatur. Ad quæstionem veniam.

Respondeo primò. Pharisei odio, & invidia erant commoti contra Christum, Joanni etiam discipuli invidia erant instigati contra Dominum. Unde Baptistæ suo Magistro dixerunt: Ababibi, qui erat tecum trans Jordanem, cui in testimonium pe bibuisti, ecc. e hic baptizati: & omnes veniunt ad eum, Ioan. 3. v. 26. Qui autem eadem passionem, eademque querelam, mala affectione tanguntur, facile inter se coadunantur, ad aliquem criminandum. Secundo, quia isti Joannis discipuli sibi persuadebant in hoc facto, proprii magistri honorem, ac suam maxime zelat, ergo uniuntur Phariseis, ut Christi alleclas arguant, & hoc eis objiciant, quod non jejunant.

Tertid D. Petr. Chryolog. serm. 31. sic ait: Cum discipuli Joannis, qua societas Phariseis, nisi quod jejunaret invidia, quos disjunxerat discipulum. Idem docet D. Paschal. lib. 5. in Matth. Discipuli Joannis erant instructi in diversis documentis à schola Phariseorum, quomodo cum eis copulabantur, propulsaverat eorum corda invidia, qua Christum, & ejus discipulos prosequantur, & ideo statim dissensionis, ac altercationis meditantur, quodlibet flagitium non respiciunt, iniquorum commercia amplectuntur, & calumniandi ac murmurandi animo ad Christum conveniunt. Quare discipuli tui non jejunant.

Audivit Joannes in sua Apocal. 12. numer. 12. Va terra, & mari, qui deservit diabolum ad a. Apoc. 12. E Ec 4. habens



Ex invidia omnis ira ac malum procedit.

Rupert.

habens iram magnam. Sed quam est hæc ira magna, quam Diabolus asportabat, ob quã Joannes maxime mare, ac terram deplorabat. Vasa invidia erant, ut diabolus diffunderet in genus humanum, ex quibus omnis malitia, ac nequitia feminanda, ac spargenda erat per totum orbem. Rupert. lib. 7. in Apoc. sic ait: In quo ira ejus, quam nunc habet, sic descendens discernere possumus, quod verè magna sit comparatione ejus ira, quam habuit? In eo videlicet, quod prius vos faciebat errare per ignorantiam, nunc autem facit vos blasphemare per iridiam. Hic est ira magna, invidia maligna vobis inspirata.

Matth. 9. n. 15. Et ait illis Jesus: Nunquid possunt filii sponsi lugere, quando cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.

VERSIONES.

Syriaci. Nunquid possunt filii thalami jejunare, quando cum eis est sponsus?

Vatablus. Num possunt filii thalami nuptialis lugere, quando cum illis est sponsus, cum sublatus fuerit ab eis sponsus, &c.

Græci. Filii nuptiarum.

ALTER TEXTUS.

Marc. 2. n. 19. Et ait illis Jesus: Nunquid possunt filii nuptiarum quando cum illis est sponsus jejunare? quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

Ibid. n. 20. Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus.

Luc. 5. n. 34. Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare.

Ibid. n. 35. Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.

EXPOSITIO.

14. Quilibet pro se respondens sine aliorum objuracione.



LANDA, ac suavi mansuetudine arrogancem calumniã refutat Christus, miraque prudentia respondet Dominus, ita ut nec Joannis institutionem nec aliorum jejunia reprobarer, sed tantum, declaravit indulgentiam, qua in suos uteba-

batur, non esse negligentia, sed temporari presentem convenientem, ut ita sui paulatim ad meliora formarentur, & ad hoc declarandum assumit similitudinem ex sponsalibus, Christus est sponsus, qui humanam naturam, & per eam Ecclesiam sibi in Incarnatione desponsavit, indissolubili, ac perpetuo conjugii vinculo copulavit. Hinc Apocal. 19. n. 7. dicuntur nuptiæ Agni, & Joannes Baptista vocat se amicum sponsi, id est, Christi, Joann. 3. num. 26. Unde hæc Christi responsio fuit valde efficax contra Joannis discipulos, qui jam à suo magistro erant edocti Christum sponsum esse, ac vocari, sponsaliaque celebrari. Unde ait D. Chrysol. ser. 31. Convenienter ergo Dominus discipulis Joannis magistri sui voce responderet.

Nunquid possunt, id est, ut ait Pelusiotæ, lib. 3. Pelusiotæ, epist. 335. Non decet, non convenit, filii sponsi, jam diximus Christum esse sponsum, filios, autem sponsi, volunt D. Ambros. in Lucam, & D. Hieronym. hic intelligi eos, qui regenerati sunt in Christo, Euthym. ait filios sponsi dici familiares, & amicos sponsi. Hic modus loquendi est Hebraica phrasîs, & familiares sponsi denotat, & sic apud Hebræos frequenter dicuntur filii iniquitatis, qui iniquitatem sequuntur, filii superbia, qui studiosè eam tenent, filii obedientia, qui eam ardentè amant, ac amplectuntur. Pro filiis sponsi, alii legunt, filii thalami nuptialis, filii nuptiarum, ut habetur in Marco, sed semper idem est sensus, lugere, id est, jejunare, ut habet Syriac, & intrã dicitur, cum auferetur ab eis sponsus, tunc jejunabunt. Jejunium est species luctus, & facit homines tristes, sicut cibus hilares, & in luctu jejunabant Judæi, 1. Reg. 13. n. 13. Iudic. 20. n. 16. & 1. Machab. n. 47.

Cum autem auferetur ab eis sponsus. Nota cum Chrysol. hom. 31. Euthymio, Theophylacto, quod antea Medicum, modò, verò sponsum se vocat Christus: Medicum, quia ad animas sanandas venerat; sponsum verò, quia per fidem vivam jam sanatas sibi spondet. D. Hieron. hæc explicat, quod quando Christus auferetur à nobis, per peccatum, tunc lugendum. D. Hilari. D. Ambros. Arnobius African. in annot. cap. 12. de Christo, in sacra Eucharistia interpretatur, ipse enim est cibus & panis nostrus, & qui cum peccato mortali accedunt, esuriunt & jejunant: Tamen simpliciter locus intelligendus est de morte, ac passione Christi, per quam à suis sublatus est, ut tenent D. Chrysolom. citat. a hom. 31. D. August. homil. 12. in seriam quartam Cinerum, apud Bibliothecam Bonav homiliarum. D. Paschal. lib. 5. in Luce. S. Thomas hic D. Bonavent. in Lucam, & facit hunc sensum quod post mortem, ac assumptionem ejus in cælos, quando ipsis discipulis presentia corporalis sponsi subducitur, tunc ipsi jejunabunt, quod strenuè præstiterunt Apostoli, ut ex Acti, ac Epistolis, & ex alii constat.

QUESTIO IV.

Quare Christus Dominus non imposuerit aliqua jejunia suis discipulis?

RESPONDET primò Abulensis questione. 74. quod Christus noluit suis discipulis mandare aliqua jejunia, propter infirmitatem eorum, quia

quia tunc erant novi, & recentes, & si imponerentur eis illicò, opera gravia, sustinere non possent, & recederent; si enim cum audiunt sermonem de corpore, & sanguine Domini, aliqui dixerunt, Durus est hic sermo, & abierunt retrò, Joan. 6. n. 61 ita etiam si à principio eis imponeret opera dura, ut jejunia, multi abirent, & recederent. Ex quo multis exemplis probat hic Cornelius à Lapide, quod novitii in religione, blandè, ac benignè tractandi sunt. Secundò, quia Christus volebat ad se congregare multos discipulos, & si Christus eis imponeret opera gravia, multi impedirentur venire.

Cornel.

18.

Act. 15.

Excellentia legis Evangelicæ.

Ioan. 2.

D. Thom. Caietan. Medina. Suarez. Valentia.

19.

Christi presentia omnem voracitatem extirpat. Scilicet.

20. D. Cyril.

D. Chrysol.

Tempus latitans, totus amabilis, totus festivus inferat. Adertia non est sedandum luctu.

21. Deur. 21.

letetur cum uxore sua. Cur illo anno non cogetur homo ad bellum, nec ad contribuendum ad necessitates publicas, & absque culpa vacabit, id Abulens. est, ut explicat Abulensis, non solvat aliquid de tributis publicis; sed ad quid hæc mandantur, ratio explicatur in textu, ut letetur cum uxore sua. Ubi enim intervenit molestia, jam gaudium evacuatur; & nota quòd ut letetur cum uxore sua, mandatur, ut sit absque tributis, nam hæc lætitiã excludunt, & extinguunt.

QUESTIO V.

Quare Joannes Baptista jejunabat, si Domini discipuli ob nuptiarum tempus non erant abstinentiã macerandi?

CONTRA superius dicta hæc insurgit objectio, si sponsi filii jejunare non debent, quando cum illis est sponsus, cur Joannes, qui inimus sponsi amicus erat, Joan. 3. n. 29. jejunat, varias solutiones ex Doctoribus appono.

Respondet primò Salmeiron 10. tract. 10. quòd sponsus jam diu ab Joanne abscesserat; ante ejus oculos ab initio erat occisus, & ut occisus in ejus consideratione versabatur; talem enim eum prædicavit, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Joan. 1. n. 29. peccatum tollendum erat sacrificio mortis suæ; discipuli autem articulum mortis Christi non capiebant, Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, Luc. 18. n. 34. Nam si firma fides de hunc articulum credidissent, & cum, ut mortuum spectassent, luctu, ac jejunio prævenissent; quemadmodum Magdalena unxit eum in sepulchrum, tanquam si dicit, quòd illi, qui non cogitant de morte Christi, gaudent, & lætantur; qui verò de illa habent considerationem, jejunio, ac austeritate compunguntur.

Secundò respondet Maldonatus, quòd id factum fuit, ut omnibus modis homines alliceretur ad salutem, & singulari modo, qualis fuit Joannis; & communi, qualis fuit Christi, quòd Matth. 11. significavit Dominus Matth. 11. n. 18. & 19. Vnde Deus omnibus modis demonium habet, venit filius hominis manducans, & bibens & dicitur: Ecce homo vorax & potator vini.

Tertiò ipse Maldonat, & Toler. in 5. Luc. annot. 71. quòd Joannes, etsi amicus erat sponsi, si Toler. tamen, id est, discipulus propriè non erat, nam hoc nomine filii propriè significantur. Domini discipuli, qui ei adhærebant, ipsamque contumèdit comitabantur, tanquam ejus sponsalia celebrantes. Joannes autem venit, ut legis, ac Prophetiarum terminus, lex, & Prophetæ, usque ad Joannem, & venit parare viam Domini ipsamque populo indicare, de eoque dare cunctis testimonium, ideo non debuit ejus discipulus fieri, ut omnem à suo testimonio repelleret suspicionem.

Quartò, & hæc est in hac re mea sententia, quòd filii sponsi, est phrasîs Hebraica, & denotat amicos sponsi, ut in expositione dixi ex Euthymio: discipuli ergo erant amici, ac familiares sponsi. Joannes etiam erat amicus sponsi, & ex ejus voce gaudio perfundebar, Discipuli, & familia